rem terræ patiuntur, qualecunque humanitatis officium prętare, aut ſaltem teſtari conceſſum ſit meum in te animum propenſiſſimum. Ex iis ad quæ priuata vel communi hominum conditione natus videbare, vna ſupereſt, quæ Te ſuperſtite perire & deleri nequit origo. Prętereà duo Tibi aduenere bona, quibus amiſſa reparentur, & quod ſaluum eſt, cumuletur, Chriſtiani ex baptiſmo, & Dominicani ex voto religionis profeſſio: itaque cum eo ipſe loco ſim, vt bonis quæ ſeruaſti, aut quibus nouo Dei munere donatus es, nihil poſſim addere; id vnum quod in me eſt, diligenter prętabo: Primum bonorum ex origine aduerſus æmulos pro virili defendam & vindicabo; reliqua duo Tibi gratulabor impensè, & quam grato in Deum animo ea æſtimare, quam diligenti cura excolere & augere debeas, quamdiu vixero etiam atque etiam monere non deſinam. Si quid aliud Tua conditio, & mea facultas officii pateretur à me exhiberi, in id totum me impenderem: nam velim perſuaſum habeas, non aliunde in Te colendo quàm ex vna impotentia modum me facere aut finem. Verum dilata ad huius Apologiæ calcem primi boni vindicatione', alterius nempè Chriſtianiſmi, eiurata ſuperſtitione auita, ſuſcepti, nihil opus eſt longius ſanctitatem fœlicitatemque proſequi, & vnius qua ſalui eſſe poſſimus, religionis dotes illi operoſe prolixa diſputatione aſſerere; cum ſpontaneo fidei, maturoque ſupra ætatem delectu, immotoque propoſito teſtatum feceris, Te nihil eorum quæ in hanc rem ſcripta ſunt, aut dici